


## **Mantissa Ad Exercitationes De Auxilio Dei Protoplastis Necessario, Qua Augustini mens De Auxilio Quo ...**

Tiguri: Typis Heideggeri, MDCCXXVIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862998883>

Druck Freier  Zugang







94

*Fa-1092 (94.)*







9



MANTISSA  
AD  
EXERCITATIONES  
DE  
AUXILIO DEI PROTO-  
PLASTIS NECESSARIO,

*Quâ Augustini mens*

DE  
AUXILIO  
QUO,  
EXPENDITUR.

*Eam*

Spiritu S. gratiosè opitulante,

*Præside*

JOH. JACOBO HOTTINGERO  
S. Theol. Profess.

Pro consequendo Examine Theologico  
tueri sustinebunt,

JACOBUS VVASERUS.

CASPARUS SIMLERUS.

PETRUS RISLERUS. Mülhaus.

*Ad d. H. L. Q. S.*

4.

TIGURI, Typis HEIDEGGERI. M DCC XXVIII.

*Vener. d.*









Thesis I.



Erfectiones Dei & aeternae & infinitae sunt : sine <sup>vita est</sup> initio, sine successione, mutatione, numero, <sup>perfectio</sup> limite. Earum prima concipi potest ejus *vita* : Dei.

non potentialis, sed actualis : non deses & iners, sed actiosa : à qua Deus non tantum **אל חי** *Deus vivus*, vitam ipse possidens, Jos. 3 : 10. sed etiam **אל חי** *Deus vitarum*, Deut. 5 :

23. *fons aquarum viventium*, Jer. 2 : 13. is penes quem *fons vitarum*, omnis generis vitae est, Psal. 36 : 10. cognominatur : eoque ab omnibus *λεγομένοις* Diis falso nuncupatis discernitur, Jer. 2 : 13. 10 : 10. 11.

II. Is non tantum à se & in seipso omnem vitam possidet, sed <sup>Deus aliis</sup> etiam quibuscunque aliis vitam gaudentibus, vitam quae eis compe- <sup>omnibus</sup> tit, spiritualis, animalis, beatae, qua sive in caelo, sive in terra de- <sup>viventibus</sup> vant : sive corpus, sive mentem spectes fruuntur, solus autor, <sup>vita au-</sup> dator & stator est. <sup>ctor.</sup> De naturali seu animali creaturarum vita, nemo dubitaverit nisi vel Epicureus vel Atheus. Multo minus dubitationi locus esse potest de vita creaturarum sive spirituali, sive beata in caelo. Si enim naturali, nulla creatura, vel à se, vel aliunde quam Dei munere fruitur : quanto minus eam quae supernaturalis nomine venit, & animali tanto potior est, quantum caelum terrae, aeternum temporalibus, spiritus corpore praestat, à seipsis habebunt.

A 2

III. Qua



Idem ejusdem vitæ conservator est.

III. Quæ primordialis vitæ ratio fuit, eadem ejus conservandæ conditio est. Creatura enim vitam non magis suo Marte, ingenio, curis, viribus continuare, & seipsam conservare potest, quàm sibi ipsi eam conferre. Nec virtutem creatione acceptam magis exercere valet, quam eam primitus sibi sumere novit. Conservatio enim est continuatio ejus actionis per quam res esse suam accepit initio. Candela seipsam neque accendere, neque sine pinguedine alere idonea est. Nihil validior homo, cujus *Spiritus exit*, Psal. 146 : 4. Id quod & Spiritus S. toties nobis occinit, & Ecclesia omnis ævi & in omnistatu proficitur, Psal. 138 : 8. Es. 26 : 12. 45 : 8. sqq. Neh. 9 : 6. Joh. 15 : 5. Rom. 11 : 36. Act. 17 : 28. 1. Cor. 4 : 7. 2. Cor. 3 : 5. Cùmque hæc ipsorum coelium meditatio & confessio sit, Apoc. 4 : 11. quidni eandem suam faciant homines sancti quidem, & vitæ novæ Christi Spiritu donati : viatores tamen & ad portum, καλοὶ λιμένες dici, illo Act. 27 : 8. longe digniorem, demùm navigantes ?

Hoc subfidium homini necessarium in statu integritatis : teste Scriptura, ratione, Augustino.

IV. Hanc boni summi eminentiam : Hanc reliqui boni ex summo emanantis conditionem imperfectam : Hanc gloriam Dei, hanc creaturæ cujusvis imperfectionem esse : Eandem hominis in ipso integritatis statu, imagine equidem Dei etiamnum radiantis, aliisque pluribus prærogativis, quibus ille qui homicida ab initio est, eum spoliavit adhuc ornati, fuisse sortem, tum variis Scripturæ S. Testimoniis, tum ex ὑπεροχῇ Majestatis, dominii, potentia, gubernatione sua omnia disponentis, dispensantis, ordinantis, moderantis, & cujus voluntas ac omnisufficientia omnis entitatis, realitatis, bonitatis unicus autor agnosci debet, DEI T. O. M. tum ex dependentia, indigentia, imbecillitate creaturarum ad nullum bonum sibi sufficientium : Hæc inquam omnia fusiùs gemina dissertatione *De Auxilio Dei Protoplastis ad perseverandum necessario*, datâ operâ deduximus. Addito non uno Augustini suffragio, quibus evicimus, statuisse eum quod Adamus auxilio quidem, quod ab eo *sine quo non*, insignitur, instructus fuerit. Cæterum quod in amicitia Dei perdurare, imaginem Dei conservare & ad posteritatem derivare posset, alio indiguisset : illo nimirum, quod ab Augustino *auxilium quo nuncupatur*,

V. Hanc



V. Hanc mentem suam augustinus Hipponensium Doctor, ut Dissensus  
diximus, frequenter quidem admodum, neque absque necessaria <sup>de verbis</sup>  
luce Lectōribus proposuit. Nec tamen ita felici esse contigit, ut <sup>Augustini.</sup>  
non verba ejus in *μῦλον* aliquod *ἔριδος* abierint, eorumque inter-  
pretes in diversas partes discesserint. Quæ enim Augustinus de  
*Auxilio sine quo non & quo*, & utriusque natura, disseruit, alii  
etiam ad intergritatis statum referunt, persuasi, Augustini senten-  
tiâ, Adamo ad plenè perseverandum, non solo auxilio *sine quo non*,  
sed etiam auxilio quod ei dicitur *quo*, opus fuisse. Sine illo nec  
creari, nec tantisper Deo placere potuisse. *Hujus* beneficio ad  
metam decursurum fuisse. Denique hætenus conditionem Ada-  
mi secundi potioem esse, quod ille quidem nullam hujus benefi-  
cii promissionem habuerit, at quicumque hujus sunt, etiam auxilio  
*quo* potiuntur & fruuntur. Ut adèd Augustino iudice, Auxilium  
*quo*, homini in utroque statu necessarium sit, & unius necessitate  
necessitas alterius non excludatur. Nec tamen, si eundem Augu-  
stinum audimus, hoc unum beneficium est, quod Adamus secun-  
dus in semen suum transfert. Etenim & gemino eis opus est: &  
gemino donantur. Nimirum primus ille homo imaginis Dei be-  
neficio, Deum amare, quærere &c. sed eandem imaginem amit-  
tere potuit: facere potuit bonum se dignum, *si vellet*. Sed *ut*  
*vellet*, auxilio illo *quo*, opus habuit. Diversa ratio est eorum qui  
Christo donantur. Mortui sunt. Nisi vitâ Christi donentur, se  
Deum & cœlum versus movere nequeunt. Satanæ larvam in-  
duere: opus est imaginem Dei eis restitui. Hoc beneficium eis  
contingit in Christo. Non tamen temporarium, non mutabile,  
cujusmodi imago illa erat, quæ Adamum ornat: sed tum ro-  
bore, tum duratione insuperabile. Ejusmodi cui non jugis obex-  
poni, & quod non amplius amitti potest. Nam perenne erit, in  
cœlum à singulis & universis quibus semel datum est, inferendum.  
Nam ut Augustinus de *Corr. & Gr. c. II.* *Parum est homini per* (Gra-  
tiam illi quam Adamus habuit similem) *reparare perditam libertatem:*  
*parum est denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel per-*  
*manere in bono si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.* Et cap. 12. *Sub-*  
*ventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabi-*  
*liter & inseparabiliter ageretur, & ideo quavis infirma, non tamen defice-*

31  
30  
23  
21  
17  
16  
7.3  
25  
4  
10  
1  
4  
4  
4  
16



deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Etenim ut idem Augustinus de *don. persev.* cap. 7. scribit, *Post casum hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ei. Neque nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Ea ratio est, quod Augustinus asserat, Adamum primum auxilio quo destitutum, defecisse. Secundum Adamum auxilio isto fœcundum, sibi infitos eodem beare, eosque hætenus primo Adamo longè esse feliciores. Placet aliis, Augustinum docuisse, Adamum solo *Auxilio sine quo non* instructum, neque alio adjutum, in officio ad finem usque durare potuisse. Quæcunque autem Augustinus de *Auxilio quo disseruit*, non nisi ad Adamum secundum ejusque hæreditatem, semen, gregem, referri debere.

Genuina  
Augustini  
mens.

VI. Palæmonem hîc solus Augustinus agere potest. Ejus verba Dissert. de Auxil. I. §. 21. 22. dedimus. Neque aliud h. l. agendum restat, quam ut verba Augustini prementes, ostendamus, ea liquidò velle I. Adamum solis illis, quas jam possidebat, viribus, cursum suum provehere & perficere non potuisse, nisi à Deo adjutum: adeoque Augustino judice, Auxilium, *sine quo non*, quo Adamus polluit, ei ad perseverandum non suffecisse: itaque II. ei opus fuisse alio, i. e. eo auxilio quod Augustino Auxilium *quo* dicitur: nec nisi hujus beneficio Adamum in officio suo perseveraturum fuisse. Nominatim III. opus fuisse Adamo auxilio *quo vellet*. At auxilium quod possedit, non fuisse auxilium *quo vellet*. IV. Inter utrumque hoc Auxilium, id discriminis fuisse, quod prius illud abjici, & Adamus eo uti vel non uti potuit. Hujus ea fuisset vis, ut Adamus eo potitus, id negligere & excutere non potuisset. Illud simile fuit integritati, cunctis, ipsisque lapsis Angelis collatæ: istud par erat futurum bonitati quam Deus Angelis constantibus dedit. Neque enim minus possibile fuisset, hominem in statu recto persistere quam Angelorum aliqui in primæva sua integritate perseverarunt, quod singulari Dei favore & ope factum esse, idem Augustinus contendit.

Demon-  
stratur ex

VIII. Hæc nobis ex ipsius Augustini scriptis astruenda sunt. Et primùm quidem ex illo de *Corrept. & Gratia*, in quo postquam Ele-



Electorum perseverantiam demonstrasset, & adversus exceptiones vindicasset, *queritur à nobis*, inquit; *quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certe sine (ullo) vitio factus est rectus?* Habes integritatis & sanctitatis Adamo concreatae testimonium. Augustinus pergit: *Nec dico, si perseverantiam non habuit, quomodo sine vitio fuit?* Cave autem, Augustini verba, *non habuit perseverantiam*, intelligas de perseverantiae actu. Quis enim de re notoria scrupulum movit? Sed docet Augustinus, eum dono caruisse, quo perseverare non poterat. Hinc sciscitatur, An Adamus ob defectum hunc, *sine vitio fuisse*, dici queat? Subjicit: *Huic namque interrogationi facile respondetur, eum perseverantiam non habuisse, quia in eo bono quo sine vitio fuit, non perseveraverit. Cæpit enim habere vitium, ex quo cecidit* &c. Ergo perseverantia donum & necessarium quidem Adamo erat. At eo statu quo *sine vitio fuit*, Augustini sententiâ, *non habuit perseverantiam*, i. e. non habuit donum perseverantiae.

libro ejus  
de Corr.  
& Gr.  
cap. 10.

absque

VIII. His confirmatis & illustratis Augustinus prolixè respondet dicentibus: *Si in illa rectitudine, in qua sine vitio (Adamus) factus est, habuit perseverantiam, procul dubio perseveravit in ea* &c. Ad ista: *Non*, inquit, *habuit in illo bono perseverantiam (donum inquam perseverandi):* & *si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim* & *accepisset perseverantiam, & non perseverasset?* Instat adversarius: *Si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, idè non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate.* Nimirum Augustinus docuerat, perseverantiam donum esse omnibus electis commune: eos qui non perseverant ad finem, verâ fide destitutos, & in reproborum numero esse. At Adamum *gratiæ largitate è massa perditionis discretum, i. e. electum esse.* Quid ad hæc Augustinus? *Nondum, ait, erat illa in genere humano perditionis massa, antequam (Adam) peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.* Subjicit: *saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum qui creavit omnia vâ de bona, & mala ex bonis exortura præscivisse, & scivisse magis ad suam omni-*  
poten-

Respondet  
exceptio-  
nibus.

31  
30  
23  
17  
6  
7  
25  
4  
10  
1  
4  
14  
4  
16



potentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere quam mala esse non finire. Itaque iudice Augustino, nec Adamus lapsus reatu caruit, utut Deus dono perseverantiae eum non instruxerit: neque Deus eo nomine accusandus quod eum Auxilio ad perseverandum necessario destituit. Addit Augustinus etiam consilii huius divini rationem, petitam ab exemplo Angelorum, quorum nimirum haecenus par conditio sit, quae hominum: Sic enim Deum ordinasse eorum ( Angelorum & hominis ) vitam ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium: deinde quid posset suae gratiae beneficium iustitiaeque iudicium.

Illustra-  
exemplo  
Angelo-  
rum.

IX. Mox sigillatim de utrisque. De Angelis: Alios per liberum arbitrium factos à Deo refugas, qui miserissimi effecti sint. Alios per liberum arbitrium in veritate stetisse, certosque factos se nunquam casuros &c. Diabolus verò & Angeli ejus etsi beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant: erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum Arbitrium in veritate stetissent, donec istam summam beatitudinis plenitudinem, tanquam praemium ipsius permansionis, accepissent, i. e. ut magnam per spiritum s. datam abundantiam charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissime nossent. Hanc beatitudinis plenitudinem non habebant. Sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur. Usus horum in seqq. ostendemus.

Et Homi-  
num.

X. De Hominibus scribit Augustinus: loc. cit. Sic ( Deus ) hominem fecit cum Libero Arbitrio: & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideò beatum, quia & non mori & non miserum fieri, in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum Liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento acciperet ( i. acc. pisset ) illam merito huiusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, i. e. ut cadere non posset ulterius, & hoc certissime sciret &c. Quia verò per liberum Arbitrium Deum deseruit, justum iudicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe quae in illo adhuc posita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. &c. Quod pauci in comparatione pereuntium,



tium, in suo vero numero liberantur multi, gratiâ fit, gratis fit, gratiæ sunt agenda, quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omnes obstruatur, & qui gloriatur in Domino gloriatur. Qualis ergo homo primus? Factus cum libero arbitrio, i. e. talis qui bonum facere posset. Quod quia homo lapsus nisi gratiâ Dei restitutus efficere nequit, libero arbitrio carere ab Augustino ubique dicitur. Quia Adamus bonum facere potuit, fuit beatus. Non mori, non miserum fieri, in sua potestate esse sentiebat. Eum in hoc statu recto ac sine vitio, per ipsum liberum arbitrium manere potuisse, &c. Augustinus frequenter inculcat: negat voluisse. Si voluisset, plenitudinem accepisset quâ Angeli sunt beati, i. e. ut cadere non posset. Ergo eam plenitudinem ut cadere non posset & ut permanere vellet, non habuit. Plenitudinem hanc Augustinus nuncupat gratiam, quia gratiâ datur, gratis, & ab eis quibus fit gratiæ sunt agenda quia fit.

XI. Obiter hîc monemus, Augustinum & Gratia & Adjutorii Usus vocabulorum Gratia & Adjutorii in Augustini scriptis. seu Auxilii vocabulis passim promiscuè uti: illo, etiam cum de statu hominis integro loquitur, in quo multis beneficiis Adamus fruebatur, quæ ob rationes heic ab Augustino memoratas, gratia insigniri possunt. Cæterum in Evangelio Gratia opponitur iræ, quo significato Adamus Gratia nec indigebat, nec vel ejus promissionem ex fœdere operum accipiebat, vel lapsus, nisi promissione præviâ, expectare poterat. Adjutorium supponit in homine vires ad officium ex fœdere Dei ei præstandum incumbens. Habuit eas integer ex creatione. Post lapsum, in peccatore nondum renato locum nullum habent. Quia tamen Gratia beneficium est, præter alia multa in eo etiam consistens, quod Deus lapsum ad imaginem suam renovat, inde est quod Augustinus beneficium hoc quod in fœdere Gratia promittitur, & non nisi à gratia, i. e. Deo reconciliato & ex justitia Christi & Dei favore fluit, auxilii nomine subinde insigniat. Ut Neopelagiani, Jesuitæ alique Sophistæ in diversissimo campo & argumento versati, id quod à S. Paulo &c. Gratia nomine insignitur, insigni fallacia dictionis, nulloque jure, cum Augustino auxilium nuncupent: hîcque locum habeat illud: Duo cum dicunt & faciunt idem, non est idem.

B

XII. Ne-



Adam non  
habuit  
gratiam  
perseve-  
randi.

XII. Necessitatem hujus digressionis nobis imposuit quæstio, quam Augustinus *libr. cit. Capite XI.* ita exorditur. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam?* Non intelligit donum in Evangelio nobis promissum, sed suo stilo, beneficium gratuitum, nullo merito homini in creatione collatum. Respondet, *Imò verò habuit magnam, sed* ( ab ea quæ homini post lapsum in Gratiam recepto contigit ) *disparem.* Explicatâ utriusque statûs disparitate, gratiam quâ peccator indiget, *potentior* dicit. Quia Deus per Christum *Mediatorem* ( quem sic suscepit ut nunquam esset malus ) ostendit, eos quos *ejus sanguine redemit*, *facere se ex malis deinceps in æternum bonos.* *Istam gratiam non habuit homo primus quâ nunquam vellet esse malus, sed sanè habuit* ( gratiam aliquam ) *in qua si permanere vellet, nunquam malus esset: & sine qua etiam cum Libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset.* Adamus ergo gratiâ polluit. Et eâ quidem, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset. Gratiâ inquam, *sine qua non.* Sine ea enim etiam cum libero arbitrio bonus esse non poterat. Poterat quidem hanc gratiam *per liberum arbitrium deserere.* At ut *nunquam vellet esse malus*, neque ab ea quam possidebat, gratia, neque à libero illo arbitrio habere potuit, sed in id gratiæ Dei operatione, i. e. gratia quâ perseveraret, ei opus fuisset. Hac Adamus destituebatur: erat tamen ei ad prosequendum & perficiendum cursum suum necessaria. Id Augustinus porro ita exprimit: *Deus ipsum non esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.*

Idem con-  
firmatur  
ab Augu-  
stino.

XIII. Eodem pertinent quæ ibidem sequuntur. *Tale erat adjutorium quod (homo) desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet: non quo fieret ut vellet.* *Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam.* Prima est enim *qua fit ut habeat homo justitiam si velit.* Secunda ergo *plus potest, quâ etiam fit ut velit, & tantum velit, tantòque ardore diligit ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate Spiritûs vincat.* Hæc Augustini verba equidem gratiam per Christum nobis datam designant, non quòd Augustinus neget, *secundam gratiam quam* appel-



appellat, Adamo fuisse necessariam, sed ut ejus efficaciam, sive præ prima illa potentiam exemplo hoc declarat. Ita enim p. p. Augustinus: *Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem. In illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat & adjutorium per quod posset, & sine quo in ea non posset, permanere &c. & tenere bonum quod vellet, ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio &c. Non talis natura facta erat, ut sine adjutorio posset manere si vellet. Quæ si vera sint, consequens est, hominem sine adjutorio non potuisse velle: sed quo vellet, adjutorio eguisse quo destituebatur. Addit Augustinus: Per Jesum Christum dare Deo placuit adjutorium, ut non solum assist, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus: verum etiam tantum ac tale est ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam, in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo. Unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum, gratiâ non egebat: quia nondum perdiderat. Ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset. Et acceperat posse si vellet: Sed non habuit velle quod posset. Nam si habuisset, perseverasset &c. Quid clarius dixisset Augustinus? Velle quod possumus, non fuit in homine primo. Ut permaneret (in bono), egebat adjutorio gratiæ. Non habuit velle quod posset &c. p. p. Bona ista quid inter se differant, diligenter & vigilanter intuendum est: posse non peccare, & non posse peccare: posse non mori & non posse mori: bonum posse non deserere, & bonum non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Nunquid dicturi sumus, non potuit peccare &c. non potuit mori &c. Aut, non potuit bonum deserere? Cum hoc peccando deseruerit, & idem mortuus sit? Augustinus ubique discernit auxilium quo homo potuit, si vellet: ab eo quo datur ut vellet. At, qui explicandis his Augustini verbis à nobis abeunt, contendunt ex ejus mente, Adamum accepisse non tantum posse si vellet, sed etiam velle quod posset, & bina quæ Augustinus diligenter & vigilanter intuenda dicit, quid differant, posse non peccare & non posse peccare &c. in unum conflant. Non qui unum possidet, etiam alterum possidet. Si rectum facere possis, donum est divinitus tibi concessum. Velle bonum facere quod*



quod possis & quidem perseveranter velle, bonum est perfectius, quod quisquis habet, novo Dei beneficio possidet, & bonum quod vult exequitur. Nullum fucum admittunt, ista Augustini, *Non talis natura facta erat, ut sine adjutorio posset manere si vellet &c. Homo acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset. Nam si habuisset perseverasset.*

Juxta Augustinum Adjutoriū sine quo non & quo necessarium hominum integro. XIV. Augustinus hæc omnia cap. 12. veluti in summam con- trahit, nullam suæ de hoc argumento mentis nebulam relinquit, quodque hæctenus ut gratiam geminam, sine qua non & qua descri- psit, jam nomine adjutorii sine quo non & quo insignit: terminis his vix alibi usus. Sic inquit: *Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit &c. Adjutorium alimentorum est, sine quo non fit; non, quo fit ut vivamus. Primus homo acceperat posse non peccare, non mori, bonum non deserere: datum est adjutorium perseverantia, non quo fieret ut perseveraret: sed sine quo per liberum Arbitrium perseverare non posset &c. Voluntas primi hominis fortis & sana in bono ampliore non perseveravit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non de futuro adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare si vellet: non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet.* Et vita & alimentum, Dei beneficio nobis contingunt. Non unum tamen, sed duplex beneficium sunt. Ita rectitudo & adjutorium in ea permanendi, ab invicem discerni debent. Adamus rectitudinem habuit, non habuit adjutorium, quo in ea semper permaneret. Nec id (si Augustinum audimus) quo instructus erat Adamus adjutorium, ad id ut permaneret sufficiens fuit, sed aliud necessarium erat.

Idem ostenditur ex Augustini Epist. 106. &c.

XV. Eandem rem Beatus vir tum bene multis aliis locis tradit: tum SS. Angelorum in veritate persistentium exemplo confirmat: tum toto suo systemate, quod de Deo quidem omnia, nominatim hominem ex nihilo creatum, & ad nulla sibi sufficientem, maximè in eis quæ eum omnibus numeris perfectum & beatum reddunt, gubernante, urget. Loca eis quæ ex libro de *Correptione & Gratia* dedimus, parallela, occurrunt inter alia, Epist. 106. sive ad Bonifacium, sive ad Paulinum scripta: *Natura huma-*



humana; etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret (permanisset) nullo modo seipsam, Creatore non adjuvante, servaret (servavisset). Enchir. ad Laurent. c. 106. *Et si peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum: non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni, divinum adiutorium præberetur. Sicut enim mori est in hominis potestate cum velit. Nemo est enim qui non seipsum, ut nihil aliud dicam, vel non vescendo, possit occidere. Ad vitam verò tenendam voluntas non satis est, si adiutoria sive alimentorum sive quorumque tentaminum desint. Sic homo in paradiso, ad se occidendum, relinquendo justitiæ idoneus erat per voluntatem. Ut autem ab eo teneretur vita justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret. De Civit. Dei XIV. 27. Ipsum fidere de adiutorio Dei, non potuit sine adiutorio Dei &c. Nam sicut in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum in potestate non est: non autem vivere in potestate est, quod faciunt qui seipsos necant. Ita bene vivere sine adiutorio etiam in paradiso, non erat in potestate hominis: erat autem in potestate malè vivere.*

XVI. Massilienses Augustini de hoc auxilio mentem, in Hi-Ex' Augu-  
larii ad Augustinum Epistola ita expressere: Accepisse primum ho-  
minem perseverantiam, non quâ fieret ut perseveraret, sed ne hac  
perseverare per liberum arbitrium non posset. Quid ipsi sapie-  
bant? In hoc solo volunt, à primo homine omnium distare naturam,  
ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua  
perseverare non poterat: hos autem amissis & perditis viribus creden-  
tes tantum, non solum erigat prostratos, sed etiam suffulciat ambulan-  
tes. Ad hæc Augustinus de dono persev. c. 7. obiter respondet:  
Libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum va-  
luerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum suis cadente in veritate  
steterunt & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse  
certissimi sumus, pervenire meruerunt. De hominibus filer. Ad  
Angelorum tantum exemplum remittit, quorum aliqui in veritate  
conerata subliterunt, aliis eam deserentibus. Ad hoc exem-  
plum ferè toties provocat, quoties de primorum hominum statu  
& auxilio eis necessario differit. Tanta ei videbatur statûs ho-  
rum & illorum analogia: tam etiam liquidum esse ratus est, qua  
virtute homini ad persistendum in bono opus fuerit.

Ex' Augu-  
stini con-  
troverfia  
cum Mas-  
siliensibus.



Ex compa-  
ratione  
Angelo-  
rum & ho-  
minum.

XVII. Evincunt idem, ea quæ de Angelis tum §. 9. ex Augu-  
stino dedimus, tum quæ C. D. XII. 9. legimus : *Si (quia) non po-  
tuerunt (Angeli) seipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo  
nemo melius quicquam facit, profecto & bonam voluntatem qua melio-  
res (lapsis Angelis) essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere  
non possent &c.* In lqq. ostenditur, voluptatem quamlibet bonam  
inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille qui bonam naturam  
ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret (NB.) implendo melio-  
rem, prius faciens (NB.) excitando avidiorem. Porro de Angelis  
malis scribit : *Aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam  
illi qui in eadem persisterunt : aut si utrique boni æqualiter creati sunt,  
istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudi-  
nis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimè sciverunt, perve-  
nerunt &c.* Constatendum est cum debita laude Creatoris, non ad solos  
sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici,  
quod charitas Dei diffusa sit, per Spiritum S. qui datus est eis &c.  
In Psal. 32. (Angeli boni) *non habuerunt aliquid ex se (quo nimi-  
rùm lapsis præstarent) & tanquam (NB.) supplementum à Deo per-  
ceperunt.* Spiritu enim oris ejus, non pars, sed omnis virtus eorum.

Ex Augu-  
stini men-  
te, tota ho-  
minis gu-  
bernatio  
eò nos  
ducit.

XVIII. Huc denique universum Augustini de divina circa  
creaturas ratione præditas, speciatim homines, & quidem eorum  
optimas & sapientissimas actiones gubernatione, Systema tendit.  
De peccat. meritis cap. 18. scribit : *Si nobis libera quædam voluntas  
ex Deo est, quæ adhuc potest esse bona vel mala, bona verò voluntas  
(actus voluntatis bonus) ex nobis est, melius est id quod à nobis quam  
quod à Deo est. Quod si abundissimè (absurdissimè) dicitur, oportet  
fateantur, etiam bonam voluntatem (bonum voluntatis actum) nos  
divinitus adipisci.* De Gr. & Lib. Arb. c. 21. *Agit omnipotens in  
cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum &c.* Qui in cælis  
& in terra omnia quæcunque voluit fecit, etiam in cordibus hominum  
operatur. Retract. 1 : 9. *Quia omnia bona & magna & media &  
minima ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ  
voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis.* Sicut enim  
(ejusdem Augustini verba sunt de Nat. & Gr. c. 26.) *oculus corporis  
etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere :*

Sic



Sic homo etiam perfectissime justificatus (stilo Augustini, sanctificatus) nisi aeterna luce justitiae adjuvetur, recte non potest vivere. Adv. Jul. Op. Imp. III. 112. Nemo est liber ad agendum bonum, sine adjutorio Dei.

XIX. Nimirum id poscebat *νομία* Augustini *δόξα* de omnimoda creaturae, etiam sanctissimae, etiam liberrimae dependentia à Dei gubernatione. Ea si locum habeat, homo in quovisunque statu Dei auxilio indiget. In corrupto, & quia creatura est, quae nisi à Deo adjuta, nihil est, nihil habet, nihil potest: & quia corrupta, mortua &c. est, nisi à Deo vivificetur, sese movere impos. In integro, imò etiam in statu gloriae consummato, homo creatura fuit, creatura manebit. His duobus cardinibus universa Augustini de actionibus hominis moralibus doctrina vertitur. His fulcris tota ejus moles nititur. Ut qui Adamum ex Augustini sententia viribus quibus instructus erat, solis sustinere se potuisse, non alio ad integritatis bonitatisque concretae conservationem, auxilio opus habuisse, persuadere volunt, Augustino mentem tribuant ab eo alienissimam. Nec consensum Augustino haec quisquam denegabit, cui Creatoris perfectio & creaturae imperfectio perspecta & explorata est. Philosophorum sententiâ plura requiruntur ad Esse quàm ad non esse: ad Ens quàm ad non Ens: ad rei constitutionem, quàm ad destructionem. Ad res creandas & conservandas divinâ opus est omnipotentia efficaciter agente: Ut verò eadem in nihilum recidant, non positiva aliqua actione (quae nonnisi ad aliquid esse tendit), sed sola influxus divini cessatione contingit. Id verò Cleberr. Philosophi, Joh. Lavaterus *Ontosophia* p. 42. & Claubergius *defens Cart.* c. 37. plenius evincunt.

Et hominis à Deo dependentia.

XX. Neque secus de hoc argumento disputant Ecclesiae Latinae sidera, quibus Augustini vestigia religiosè exprimere, unice curae cordique fuit. Gelasius circa A. C. 494. P. R. in *opusc.* quod Concil. T. 2, habetur: „ Illa primae conditionis integritas, dum „ ita de se fidit, tanquam ipso qui condiderat, non egeret, (Nec „ de perceptis agit gratias, quod nusquam fecisse memoratur. „ Nec de conservandis quae sumserat, poscit auxilium. Nec ad „ cum,

Patres Augustini mentem in eundem tenorem interpretati & imitati.

Augu- non po- tra, quo us meo- haben bonam miam ubo milu- Angelis ut, quim est fari, mtradi- , pere- m à filio posse diu, est es &c. upo nini- Dei pa- carum circa eorum na tendit voluntas voluntas obis quam ut, oportet (tum) nos mptentis in iji in celo s amonm f media & is libere sicut cum alus copo- est carere: Sic

31  
36  
23  
6  
7  
11  
4  
10  
11  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



„ eum, etiam pulsata tentatoris accessu, devota concurret & con-  
 „ sulit, suæque se credit inter prospera voluntati) facile sine præsi-  
 „ dio Creatoris patuit deceptoris insidiis. Fulgentii Africani, Gal-  
 „ licanæ Synodi Arausiacæ A. Ch. 529. congregatæ, Ecclesiæ Lug-  
 „ dunensis adversus Carisiacos verba ex nostra diss. 1. de Auxilio Dei  
 §. 23. 24. repeti, si lubet, possunt.

Lutheri,  
 & Pontifi-  
 ciorum ea  
 de re sen-  
 tentia.

XXI. Equidem proficiente iniquitatis Mysterio, Thomas Aquinas, Bradvvardinus, multi alii Ecclesiæ Romanæ Doctores qui Augustini discipuli voluere haberi, istam ejus assertionem, suam fecerunt. Ipse Lutherus ei in Thesibus A. 1518. Heidelbergæ defensis locum dedit. Ita enim XIV. habet: *Nec in statu innocentia potuit stare activa, sed subjectiva potentia: nedum in bonum proficere.* Vicissim *οι ἀντιεξισιολάτραι* contrarium propugnarunt: Jesuitis eam tanquam Helenam aliquam depereuntibus. Quod facultas Theologica Lovaniensis atro carbone dignum arbitrata est. Jesuitis enim pronuntiantibus: *In statu innocentia sufficiebat homini ad salutem gratia, qua poterat perseverare ad salutem si vellet.* Ergo & nunc. Hoc enim est quod homines illi inde aucupari satagunt. Libero inquam arbitrio, cui undique præsidium quærunt, opem ferre. Quid verò Theologi Lovanienses? *Hæc*, inquit, *sententia & Massiliensium olim fuit, & directe ac ex professo B. Augustini doctrina repugnat.* Quod tamen mireris, Corn. Jansenius, qui Jesuitarum, ut Hercules monstrorum, domitoris gloriam tanto studio affectavit, sub hoc Jesuitarum vexillo militare voluit, & hanc eorum sententiam amplexus est, eam, ut ex ejus libro *de Gr. pr. hom.* c. 10. sqq. constat, non sine multo labore, quid si etiam dicam vix sine sudore, seu ut ipse l. c. *aliqua industrie subtilitate*, ex Augustino tueri & cum reliqua ejus doctrina conciliare conatus. Quo consilio? nostrâ non refert. Non dubium eum spe sese lætasse, se Jesuitas, si sub hoc cum eis vexillo militaret, æquiores habituros: suos autem in Augustini schola condiscipulos, huic suæ sententiæ tantò æquiores fore, quantò fortiùs cum ipsis Jesuitarum idolum, liberum arbitrium, oppugnaret.

Quesnelli

XXII. Unde nec, si Quesnellio fides est, hoc Jansenii consilium,



lium, ei apud Doctores in Eccl. Rom. heic ab eo dissentientes, de Janfenii diffenfu iudicium. qui se *Thomistas* dicunt, fraudi fuit. Observat idem Quesnellius, equidem quæstionem *de necessitate gratiæ in statu lapsi, maximi esse momenti.* Eos enim qui ( quod nimirum veteres & novi Pelagiani, Jesuitæ, Sociniani, Remonstrantes faciunt ) sibi tribuant quod non habent, *vanos esse, nec ea quæ sibi videntur jam possidere, à Deo flagitatos* : adeoque *hic de salute nostra agi.* Sed eos qui vires perseverandi homini integro tribuant, eâ hypotthesi non inflari : quia non amplius in eo integritatis statu versetur. Eos qui Adamo plura tribuunt, quàm habuerit, eo non impediri, ne suam infirmitatem agnoscant. Si ingenue agnoscamus, nos eis destitui, quæ ei absque ratione vendicamus, nil obstat quò minus humiliter ea pro nobis sollicitemus. Hinc *duas scholas Augustinianorum (Janfenitarum) & Thomistarum*, (non obstante illo diffensu) *pacem mutuò colere.* Consentire inter se in præcipuis de *statu hominis lapsi controversiis, de necessitate gratiæ efficacis ad preces, & quævis alia bona opera : omnes qui salvantur, electos esse ex gratia, non ob merita quæ Deus in eis reperiatur, sed quæ eos eligendo in eis operari decreverit.* Explicat deinceps horum & illorum de Auxilio Protoplastis necessario mentem. Denique addit : *Quæstionem eam utique non omninò usu carere, tamen eos ob diffensum hunc, hereseos crimen sibi mutuò non impingere.* Cæterum se *Augustinum* (videl. cum Thomistis) *sequi.* Hæc ille in *Hexapl.* p. 379. 199.

XXIII. Nec displicet hæc doctrina Reformati. Non qui- Reformatum cum hac Augustini doctrina consensus. dem vel Augustini vel Thomistarum autoritate, sed quod eam cum Canone illo, ad quem se componere & incedere debent quicunque pacis & misericordiæ quæ Deus Israël suum beare vult, consortes esse gestiunt, consentire deprehendant. Neque eam ideò quod Thomistis se probat, fastidire æquum & fas esse, merito videtur. Quin potius enixè Deum Evangelico Reformati precantur, ut Thomistarum oculi Spiritus S. gratiâ illuminentur, ad reliquas etiam veritates in Evangelio revelatas, & hæctenus ab eis oppugnatas pervidendas. Felices verò Evangelicos, si Janfenitarum & Thomistarum in hoc suo diffensu prudentiam imitati fuerint : Jesuitarum autem infelicibus consiliis & malis artibus ad animum



revocatis, meminerint, tanto se Jesu Christo & regno ejus propiores, adeoque beatiores melioresque fore, quò longius à Jesuitarum placitis & scholis, ut Israelitæ à Coreh &c. tabernaculis recesserint. Scribit Ælianus *Var. Hist.* XIV. 30. Aves illas quas Annon Carthaginensis docuerit, postquam dimissæ ab eo fuissent, canere esse oblitas, quod captivæ didicerant: & ad cantum priorum rediisse. Quid verò nos faceremus, si libertati restituti, Ægypti feces & vincula denuò cum carnalibus Israëlitis desideraremus? Jugo Christi excusso, sensim sensimque nos componeremus ad idem jugum cum Jesuitis gerendum, & Antichristiana cum eis colenda. Infelices sunt qui, quum *effugerunt inquinamenta mundi (Babelis) in cognitione Domini & Servatoris Jesu Christi, eis rursus implicati vincuntur.* 2. Pet. 2: 20. S. Apostolus subjicit (ad illa Luc. 11: 26. alludens) *istorum postrema prioribus deteriora fieri &c.* Alia nobis dicitur sapientia. *Apprehende disciplinam, ne relaxes &c.* *Retine hoc, nam est vita tua.* *Iter justorum ut lux jubaris, quod procedit & lucet usque ad confirmatum diem.* Prov. 4: 13. 18. Etenim nemo qui manu sua admotâ aratro respexit ad ea que retrò sunt, appositus est ad regnum Dei. Luc. 9: 62.

Sententia  
Strangii.

XXIV. Qui verò Evangelico - Reformatorem de his sensum curatius tenere voluerit, norit quanquam v. gr. Joh. Strangius Theologus in Scotiæ Academia Glascoviensi medio superiori seculo primarius, Augustini *auxilium* quo ad statum hominis corrupti in Christo restitutum referat, minimè tamen eo animo & consilio id facere quo Jesuitæ, qui hac mentis Augustinianæ detorsione, creaturæ quidem à Deo dependentiam vel dubiam vel obscuram reddere religioni non ducunt, Libero autem hominis, etiam lapsi, arbitrio suppetias ferre satagunt. Etenim quod de re ipsa Augustinus adversus veteres Pelagianos asseruit, idem laudatus Strangius adversus posterioris ævi Pelagianos urget. *Certum est, inquit de Vol. & Act. Dei circa peccatum lib. 2. c. 29. si Deus instituisset ac decrevisset, hominem nunquam lapsurum, necessarium*, futurum fuisse ei „auxilium supernaturale, quo efficeretur ut homo (alioqui sua „natura mutabilis) non posset labi: quemadmodum Angelis electis &c. In confesso etiam est, opus esse creaturæ ad omnem „actio-



„ actionem auxilio Dei , quod nomine concursus denotatur &c.  
 „ Et quo excellentior est natura rei ac operatio secundum natu-  
 „ ram, eò etiam est nobilius auxilium quod Deus præstat. Non  
 desunt, qui id ipsum velint, quod ab Augustino urgeri ostendi-  
 mus, Augustini nomine præterito. Vid. H. Alting. *El. Nov.* p. 281.  
*Twiss. Vind. Gr.* II. part. I. digress. 4. sect. 12. p. 5726. Cæterum  
 plerisque Reformatis Theologis Augustini *auxilium quo*, huc re-  
 ferre placuit. Adde Clar. Joh. de Marck *Hist. Parad.* II. 7 : 6. 7. Bur-  
 manni *Synopsf. Braunii Theolog.* &c. Verùm rei radiis propriis se-  
 renæ, lucem aliunde mutuare superfedemus.

### Corollaria.

I. Vel quicquid boni in nobis est, & à nobis fit, Deo Au-  
 thori debetur, vel nihil omnino, & nulla Dei gratia nobis con-  
 tingit.

II. Cum Deus sit omnia in omnibus, beatitudine vera omni  
 numero, modo & gradu perfectissima gaudentibus; quid boni  
 in Te esse præsumas, vel in nativa conditione, aut in ejus demum  
 limine adhuc versatus?

III. Si omnia opera Rupis perfecta sunt, perfectum impri-  
 mis illud erit, quod omnium ejus operum maximum & gloriosis-  
 simum est, opus redemptionis peccatorum.

IV. Christus non est perfectus Redemptor, nisi & initium &  
 medium & consummatio, adeoque ipsa collatio salutis ab eo pro-  
 ficiscatur.

V. Quanquam gratiæ conservatio, adeoque salutis donatio, ab  
 eo fit, gratia tamen salutaris non omnibus pari mensura & gra-  
 du confertur.

VI. Qui non omnino omnium *ἐχομένων τῆς σωτηρίας*, ad pec-  
 catoris salutem necessariorum, in hac & futura vita particeps fit,  
 nullius unquam confors fuit.

VII. Qui gratiæ Dei tantillum detrahunt, neque Deum, ne-  
 que seipfos, neque quid vel gratia vel peccatum sit cognorunt.

VIII. Qui salutari illa gratia vel destituuntur, vel doctrinæ  
 ejus sive rudes, sive ei infesti sunt, non possunt non turgidi & fri-  
 gidi, i. e. humilitate & charitate destituti esse,



... quod nomine ...  
 ... excelsior est natura ...  
 ... etiam ad ...  
 ... quod ad ...  
 ... nomine ...  
 ... II. parte ...  
 ... Theologiae ...  
 ... de ...  
 ...  
 ...

### Corollaria

Vel quicquid boni in nobis est, & a nobis fit, Deo Au-  
 thori & autori, vel nulli omnino, & nulla Dei gratia nobis con-  
 tribuitur.

II. Cum Deus sit omnia in omnibus, beatitudine vera omni-  
 niter, modo & gratia perfectissima eam tenens; quid boni  
 in Te esse proximas, vel in natura conditione, aut in eius deum  
 nomine adhuc veritas?

III. Si omnia opera Spiritus sancti sunt, perfectum in pri-  
 mo habent, quod omnium eius operum maximum & gloriosum  
 unum est, opera redemptionis peccatorum.

IV. Christus non est perfectus Redemptor, nisi sit iustus &  
 meritorius & consummatus, adeoque ipsa collatio salutis ab eo pro-  
 ficatur.

V. Quod amplexus caritative, ad opus salutis donatio, ab  
 eo fit, gratia tamen salutis non omnibus pariter mensuris & gra-  
 du conferuntur.

VI. Qui non omnino omnibus in omni re caritatis, ad hoc  
 caritate habent necessarium, in hoc & deum sua parteque fit,  
 nullum omnino conferuntur.

VII. Quod est ad salutem necessarium, a parte Deum, ut  
 que caritas, merito quod caritas vel caritatem habent omnino  
 VII. Quod salutis gratia vel salutem conferunt, vel salutem  
 conferunt, ut in hoc non redduntur nisi gratia.

VIII. Quod est ad salutem necessarium, a parte Deum, ut  
 que caritas, merito quod caritas vel caritatem habent omnino  
 conferunt, ut in hoc non redduntur nisi gratia.



1. Neukaus de Fatis Adami.
2. Holzfus de Homine.
3. Idem de imagine Dei in hoc.
4. Hottinger de auxilio Dei et.
5. Hugeninus de Concursu Dei.
6. Caeterius de Providentia Dei.
7. Holzfus de Providentia.
8. Gurd de Lapsu primorum hominum.
9. ~~Gurd~~ de Angelis bonis et malis.
10. Tillemannus de Certitudine fidei.
11. Useel de Decalogo.
12. Harsus de tribus scitu necessariis.
13. Gurd Continuo.
14. Masencorius de curiosa Theologia.
15. Schmidius de Utilitate Relig: Evangel:
16. Mieg de Gratia div: pgressu.
17. Sablonski de indulgentiis.
18. Zulfinger de natura Studii Theologici.
19. Holzfus de Poenitentia.
20. Gurd de conversione.



penitius de gratuita Justificacoe.  
Morheim Triga Observacium.  
Morheim de paupertate mentis  
Mord de operariis in vinea.  
Morchmeier de Baptismo Ignis.  
Petersen de vbo Sabactari.  
Morchmeier de negotio salutis circa infantes.  
Meier ad Locum Luc: 23.  
Lampe de Titulo Evangel: Johannis.  
Minnus de aqua baptisimi.  
Mestrig de Encanis Judaeorum.  
Mernig de Lege Moysi per angelos data.  
Methphen de Historia Pauli Apostoli.  
Merser de Barnaba et c.  
Mensander de Deo suscitante Xtum ex mortuis.  
~~Mestri~~ Hecmanni Analysis Cap: 9. ad Luc.  
Maiser ad Locum ad nos XII. 42.  
Lampe de Ecclesia Apostolica.  
Mentzki de Stella ex Jacob.  
Mottinger de Benedictione sacerdotali.  
Mingot de Phospheni mysterio.  
Mau de Libamine in mensa Sacra.  
Mottinger de fectis indument. d. i.



49. Disf. de Lectione Legis Solenni.

50. Elonerus ~~de~~ ad Reg: 18.

51. March ~~de~~ ad 2 Reg: 8. 10.

~~52.~~



































the scale towards document

auditiſſimos credo. Quum nulla prorsus se difficultas  
ita legantur atque intelligantur, nisi scriptioſis He-  
bet, sensu negante, non reconvalesces. Equidem tan-  
ta Masoretharum auctoritas, ut ob eam, nisi justis fultam-  
ente lectionis ordinaria significatione recedam: in-  
mensa insistentem viam difficultatibus implicor, quibus tol-  
erant ingeniorum solertia vix, aut fortasse ne vix quidem,  
sunt rationes Viri alterius Clar. pro opposita senten-  
tiae ipsi exigui ponderis esse videntur, ita concludit;  
ita sunt eaque reales difficultates, si à Masorethis in-  
a scriptioſe recedamus, nulla autem si eam sequa-  
tur hoc ille multo prudentius, tutius, melius esse. Enim-  
vero & Junium heic deseruit ipse Piscator; Verto  
it, dic ei, omnino convalesces, sed &c. Ita ut in  
id est, non, legatur וְ / id est, ei. Quam lectio-  
centus Maccaph, & ipsa sententia simplicitas. Vult  
impium illum Benhadadem vana spe deludi. ( Qua-  
lendi mandato nihil mali lateret, quod ille cer-  
tè, nec tollere studet.) Sicut ipse antea deluserat exer-  
dudendo eum in urbem Samariam, supra Cap. vi.  
, & / id est, non, & particula illa adjungatur sequen-  
s, non vivendo vives, vel non omnino convalesces, sen-  
certum te victurum sive convalesiturum, sicuti Gen-  
tendo moriemini, idem valet quod, non est certum  
ibidem in Annotationibus tradit Fr. Junius. Sed hoc  
auctoritas Prophetæ in discrimen apud Benhadadem ve-  
l certè posset indicare. Atque alter Vir Clar. inter  
tam ex Glassio etiam notasset, Junium & Tremelli-  
one lectionem Masorethicam probasse, urget; Ra-  
stare à partibus Masoretharum. i. Quia Hazael,  
etc ad Benhadadum harum sunt referens, ea ipsa  
repetit, omisso negandi vocabulo, negativam parti-  
culam. Non constat vero ex ullo argumento orationis,  
Propheta aliter retulisse ac Propheta ea enunciaverat.  
affirmandum non est, nisi necessitate in extremis ur-  
gem Imperativum וְ דַּע die commodissime construitur  
cula relativa וְ. Omnino enim verisimile est, Eli-  
qua loquebatur, & cui ejus nomine quedam verba  
redder-